


CONSILIUM AD EXSEQUENDAM CONSTITUTIONEM  
DE SACRA LITURGIA

---

# NOTITIAE



IANUARIO-APRILI 1965

---

CITTÀ DEL VATICANO - PALAZZO SANTA MARTA

Ad n. 56:

81. Utrum pro aliquo coetu, v. g. pro pastoribus, peregrinis, etc., confici possint formularia orationis communis ipsi accommodata? Quaeenam est in casu auctoritas competens ad illa probanda?

*Resp.*: Normae a « Consilio » datae (*De Oratione communi seu fidelium*, In Civitate Vaticana, 1965, p. 6, n. 10), praevident ut habeantur formularia pro celebrationibus votivis, in quibus, non totaliter derelictis intentionibus generalibus, « longior amplitudo tribuatur intentioni votivae ».

Cum agitur de coetu particulari, formularia approbari debent ab Ordinario loci, cuius interest. Neque indigent, usque ad instaurationem definitivam, confirmatione « Consilii » (Cfr. *Instructio*, n. 56).

Ad n. 78:

82. In *Notitiae*, 1 (1965) 251, n. 61, relate ad Horam Primam pro religiosis « choro adstrictis », dicitur: « Ex recenti concessione (2 iunii 1965) Apostolica Sedes remisit Superioribus Maioribus religiosis, ut secundum prudens eorum iudicium, statuunt Horam Primam retinere aut facultativam declarare pro suis subditis ».

Quid intelligitur verbis « Superioribus Maioribus religiosis »?

*Resp.*: In casu, verba « Superiores Maiores religiosi » stant pro « *Supremi Moderatores religiosi* ».

#### AD RITUM SERVANDUM IN CELEBRATIONE MISSAE

Ad n. 81:

83. In quadam ecclesia Missae pro defunctis in die depositionis, septimo, trigesimo et anniversario, ad peculiare altare celebrantur. Fideles participantes qui s. Communionem recipere cupiunt ad altare in quo SS. Eucharistia asservatur pergere debent. Estne probanda haec praxis?

*Resp.*: Convenit ut in unaquaque Missa consecrentur etiam Hostiae pro fidelium communionem (cfr. *Ritum servandum*, n. 7), etsi paucorum, ut habeatur illa perfectior participatio de qua loquitur *Constitutio*, art. 55.

#### DE RITU SERVANDO IN CONCELEBRATIONE MISSAE

Ad n. 1:

84. Utrum ad concelebrationem Missae *In Cena Domini* requiratur licentia Ordinarii?

*Resp.*: Negative, nisi ob peculiare rationes (v. gr. ne desint Missae pro fidelibus), habeatur dispositio particularis contraria. Nam *Constitutio* liturgica, art. 57, 1a) et *Ritus concelebrationis*, 1, 1a) concedunt ipso iure omnibus sacerdotibus facultatem concelebrandi feria V in Cena Domini ad Missam vespertinam.

Ad n. 46:

85. Utrum Episcopus post diaconos assistentes etiam diacono et subdiacono Missae pacem dare possit?

*Resp.*: Affirmative, si non communicant. Nam osculum pacis diacono et subdiacono datur ab Episcopo ad communionem (cfr. n. 50).

#### DE RITU COMMUNIONIS SUB UTRAQUE SPECIE

Ad n. 1, 2:

86. Utrum presbyteri ministerio diaconi et subdiaconi in Missa solemniter fungentes communicari possint sub utraque specie, etsi Missam iam celebraverint vel celebraturi sint, ex analogia cum norma data in *Ritu concelebrationis* (n. 15).

*Resp.*: Negative. Nam lex generalis (CJC, can. 857) de non iteranda s. Communionem eodem die vigere pergit. Casus in n. 15 *Ritus concelebrationis* et in n. 60 *Instructionis* considerati, habendi sunt ut relaxatio legis quae tantum pro illis casibus expresse determinatis valet.

In casu allato agitur tantum de vero diacono et subdiacono ministerium suum implentibus.

#### VARIA

87. Quatenus Missa dicenda est ubi de indulto Apostolicae Sedis, praecepto Missae festivae satisfieri potest Missa quae celebratur vespere diei praecedentis.

*Resp.*: Praestat ut dicatur Missa de dominica, vel festo, cum homilia et oratione fidelium.